



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Morinensi Episcopo, & Morinesi & sancti Audomari Morinensis diocesis
Decanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Romani Pontificis Lib. XIII. 505

in quibus sua possint peccata deslere. Quocirca universalitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod à nobis est provida deliberatione provisum, vos prompta devotione servetis, & præfato Abbati vestro in loco quem elegit ad exhibendum dignum Domino famulatum obedientiam & reverentiam impendatis tam debitam quam devotam. Datum Laterani x i i. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

ABBATI DE RIEVALLIS
Cisterciensis ordinis Eboracensis diocesis, & Decano & Thesaurario Eboracensibus.

Cum dilecti filij Prior & Canonici Giseburnenses, qui, sicut ex multorum testimonio litterarum accepimus, omni petenti se tribuunt, & bona sua hospitalitatis usibus applicant incessanter, ita quod nullus recedit vacuum ab eisdem, ut hospitalitatis uberius exequantur officium, nobis humiliter supplicarint ut Ecclesiam de Hesel, quam de mandato nostro bonæ memoriæ magistro Britio Subdiacono & Notario nostro liberaliter contulerunt, deputare hospitalitatis usibus dignemur, nos eorum precibus inclinati, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cum per viciniam loci veritatem possitis super hoc plenius indagare, dictam Ecclesiam, si sine scandalo fieri poterit, auctoritate nostra hospitalitatis usibus, sublato appellationis obstaculo, applicetis, ministro ejusdem congrua sustentatione de ipsius proventibus reservata. Contradictores autem, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Idibus Decembris, anno tertio decimo.

MORINENSI EPISCOPO,
& Morinensi & sancti Audomari Morinensis diocesis Decano.

Ex parte dilecti filij Abbatis & conventus sancti Bertini fuit nobis humiliter supplicatum ut cum quædam parochiales Ecclesiæ ipsis fuerint in elemosynam assignatæ ut in usus suos & pauperum proventus cederent earundem, & ipsæ ante paucos annos ita pauperes fuerint quod ipsorum monasterium in eisdem servitibus necessaria ministrarit, & nunc, divina disponente elementia, frequentatione ac multiplicatione hominum valde

Tom. II.

sint in temporalibus augmentatæ, ipsos faceremus divitiarum esse participes qui fuerunt socij paupertatis. Cum igitur satis congruat rationi ut sint emolumentis participes qui oneris fuere consortes, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus earundem Ecclesiarum facultatibus diligenter inspectis, secundum eas ipsarum servitoribus assignetis ad sustentationem eorum honestam & congruam sublato appellationis obstaculo portionem, ut reliquum ad usum prædictorum fratrum cedat & pauperum juxta desiderium & voluntatem illorum qui eis præfatas Ecclesias contulerunt, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes & c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani x i i. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

APPENDIX

LIBRI TERTII DECIMI.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSI
& suffraganeis ejus.

Deo & vobis de Imperatore conquerimur, qui beneficiorum nostrorum ingratus, & promissionum suarum oblitus, retribuit nobis mala pro bonis, odium pro dilectione, offensam pro gratia, injuriam pro honore, tamquam filius indevotus, à persecutione piæ matris incepit, quæ ipsum contra communem penè omnium voluntatem toto conamine studuit ad imperium sublimare, sicut vobis & aliis est plenissime manifestum; multis insultantibus nobis quod merito ea patimur, cum nos fecerimus gladium de quo graviter vulneramur. Sed insultatoribus nostris respondeat pro nobis altissimus, qui puritatem animi nostri plenè cognoscit, nec sine causa legitur de se ipso dixisse: *Pœnitent me fecisse hominem.* Illudque debet ab omnibus iniquum & impium reputari quod ad occupandum regnum Siciliae manus extendit, quod à nobis carissimus in Christo filius noster Rex Fridericus illustris, orphanus & pupillus, obtinet ex successione materna; tamquam sibi nequaquam sufficiat quod ejus patrimonium injustè detinet occupatum. Quis ergo de cetero sibi credat, aut quis de ipso confidat, quandoquidem nobis fidem non servat, qui, licet indigni, locum Christi tenemus in terris,

*Epist. 110.
Adversus Ottonem Imper.
Vide supra epist.
177. 193.*

SS